



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1657**

§. 127. Et egressus foras. v. 61.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45549**

§. 126. Priusquam gallus cantet, ter me negabis. v. 61.

Iam ostendi, non gallum, vel eius cantum conuersioni S. Petri fuisse principium; fuit tamen etiam galli cantus conuersionis eiusdem aliquod instrumentum à gratia applicatum. Et habuit instrumento isti, licet tam parum agenti, magnum honorem Petrus, quia instituit, ut in cippis & sacris turribus ædium idea galli collocaretur apud Christianos, qui tantum honorem habuit gallo, quantum gratitudinis habuerit gratiæ Dei! Certe hinc æstimo verbum Petri: *Tu seis Domine quia amo te.* Alie hoc ex isto intelligo factò.

O Deus, da obsecro mihi donum gratitudinis, vt semper maximi faciam tuam gratiam.

§. 127. Et egressus foras. v. 61.

Quia in aula peccauerat Petrus, per consortium malorum, meritò ex ea egressus est foras, oculis misericordiæ Christi eum euocantibus, vt extra eam ageret pœnitentiam. Non bene pœnitentiam agit potator inter pocula; scortator in lecto, auarus in telonio, & quiuis peccator in occasione & illecebra sui lapsus.

O Peccatores exite, extra occasiones & illecebras mali, si vultis serio esse pœnitentes: si proximæ peccati occasiones non viteatur, peccatum amari censent Theologi, non dimitti.

§. 128. Fleuit amarè. v. 61.

Vt primum gratia Dei concurrrens loculum conscientiæ Petri tetigit: & hæ lachrymæ, siue ex timore pœnæ, siue ex amore profluere cœperunt per Redemptoris fidem & spem; dies cœpit aboriri in anima Petri; fuerunt illæ lacrymæ pluuia omnium dignissima; fuit ille ros nocturnus, inter rores omnes pulcherrimus; inter guttas noctium amantissima dignaque, quæ omnium capita impleantur, vt est in cantico. Quam gratæ hæ Domino fuerint lacrymæ etiam ex eo constat, quod resurrectionis suæ nuntium specialiter Petro voluerit nuntiari. Nec semel Petrus has fudit lacrymas, sed vt testatur S. Clemens tota eas vita fouit, & ad galli cantum resuscitauit.

O Jesu Benignissime, quam fœlices sunt illi, quos ita respiciunt oculi tui, quos sic micantibus illustras radijs diuinæ lucis tuæ, vt & fundum suum perspiciere, & vitia sua agnoscere queant! quam cito illi conuertuntur! quam celeriter frigida illa corda calefcunt & emolliuntur, amore liquefcunt